



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXXI. De eo quod supra 9. cap. Super eo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

archidiaconatus suos sub protectione apostolica posuerint, pro eorum appellatione nullatenus prætermittas, quin de causis & de excessibus subditorum suorum, & de suis propriis excessibus, si qui manifesti sint & notorii, his dumtaxat exceptis, super quibus appellatum est, cognoscere possis, & super his statuere, quod secundum iusticiam videris statuendum.

C A P. XXXI. *Idem VVintoniensi episcopo.*

Super eo vero quod a nobis tua quærendum duxit discretio, vtrum videlicet propter incidentem quæstionem sub qua fuerit appellatum, tota principalis causa, quæ commissa est iudici, appellatione remota, terminanda, debeat indecisa relinqui: inquisitioni tuæ duximus respondendum, quod si quæstio incidens talis fuerit, quod sine ea principalis causa non possit terminari, propter interpositum appellationis obstaculum, totius causæ cognitioni debet de iure deferri, donec superior iudex, ad quem super prædicta quæstione est appellatum, aliter de tota causa disponat.

C A P. XXXII. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Significauerunt nobis dilecti filii N. prior & canonici sanctæ \* Frides Vuihæ, quod super causa quæ inter eos & canonicos de Osenia, de ecclesia sanctæ Mariæ Magdalæ vertitur, de mandato nostro coram venerabilibus fratribus nostris \* Exoniensi & \* Cistrensi episcopis tractaretur, & ad audientiam nostram appellassent, iidem episcopi canonicos de Osenia in possessionem ipsius ecclesiæ, causa rei seruandæ iudicauerunt induci: & postmodum iidem episcopiliteras commissionis nostræ, quas super causa receperant, diligentius intuentes, & videntes appellationem alterutri partium in eisdem literis non fuisse inhibitam: quæstione facta a Xenefordensi archidiacono, mandauerunt ut omnia in eodem statu seruaret, in quo tempore facta appellationis fuisse dinoscitur. Interim vero canonici de \* Oseneia, in præscriptam ecclesiam irruerunt, & ibi manere volentes, a ministris S. \* Frides VVerichæ electi fuerunt: Deinde canonici de \* Oseneia, ad Lundensem & VVigoriensem episcopum literas nostras impetraverunt, conti-